OCTAVII NERUCCI

PHIL. ET MED.

IN SENENSI LYCEO MEDIC. THEOR. PROF.

HISTORIA
FEBRIS EPIDEMICAE SENEN.

Anni 1766. & 67.

CUI ACCEDIT

Oratio pro ſtudiorum inſtauratione.



SENIS MDCCLXVII.

APUD ALOYSIUM, ET BENEDICTUM BINDI

SUPERIORUM FACULTATE.

. . . . tabida membris
Corrupto cæli tractu, miserandaque venit
Arboribusque, satisque lues, & lethifer. annus

Virgil. Ænead. lib. III.



GD Olmi Sen: Scul:

AMPLISSIMO . VIRO
FRANCISCO . VRSINO
COMITI . DE . ROSENBERG
AVREI . VELLERIS . EQVITI
GENERIS . NOBILITATE . INGENIO
RERVM . GERENDARVM . SCIENTIA
SPECTATISSIMO
SS. CC. MM.
CONSILIARIO . INTIMO
IISQVE
OB . SVMMAM
IN . EXPLENDIS . GRAVISSIMIS
MVNERIBVS
DEXTERITATEM . PRVDENTIAM
ADPRIME . CARO
PETRI . LEOPOLDI
ARCHIDVCIS . AVSTRIAE
MAGNI . ETRVRIAE . DVCIS
&c. &c. &c.
REGALIS . AVLAE
ATQVE
VNIVERSI . ETRVSCI . REGIMINIS
PRAEFECTO
LIBELLVM . HVNC
OBSERVANTIAE . SVAE . MONIMENTVM
D. D. D.

OCTAVIUS NERUCCIUS.

Æſtate anni 1766., in qua ſegetes laetè virentes, & ad maturitatem feliciter properantes repentina ferè omnes ſuſtulerat rubigo, a qua ſumma totius anni frugum inopia, febres quaedam putrido-bilioſae mali moris populariter Senis graſſari coeperunt, quae ſenſim in-

valeſcentes, & novas in Noſocomio vires adeptae, ibique deteriores in dies, & Epidemicae factae, univerſam ferè Urbem paulatim invaſerunt.

Initium hujus morbi ſi conſideres, mitiſſimum hoc ferè in omnibus fuit, ejuſque Symptomata leviora omnia; adeò ut primis ſeptem diebus nonnulli vix aegrotare viderentur, ſi laſſitudinem corporis univerſalem excipias, & nauſeam, quam omnes ferè experiebantur: Alii verò praeter haec de dolore capitis plus, minuſve intenſo aſſiduè conquerebantur, & oris amaritiem cum lingua muco albo obducta patiebantur. Circa ſeptimum morbi diem petechialibus maculis, aut exanthematibus, aut miliariis ſubitò erumpentibus, & ſumma cutis occupantibus, omnia exacerbari, augeri febris,

bris; & magnae in functionibus fieri mutationes; Apparebant enim oculi splendentes, & tristes, vigiliae perpetuae superveniebant, deliria, & tendinum subsultus, qui immanibus dein convulsionibus concludebantur, Hypocondrii praesertim dextri gravi, & ad tactum molesta apparente tensione: Alvus interea in nonnullis biliosa multa aeruginosa unà cum lumbricis teretibus de genere vivi-parorum emittebat; in aliis verò non nisi enematibus sollicitata fluebat: Lingua, quae priùs alba erat, & humida, exsiccari primùm, rubere aliquantulum, splendescere, dein tanta infici nigredine, ut torrefacta penitus videretur, ex quo difficilis ejusdem quoque in litterarum sonos articulatio. Hisce omnibus Symptomatibus surditas modo ante, modo post septi-

mum morbi diem fere ſemper acceſſit; cum vero in pejus ruerent omnia, ſingultus frequens, ſtranguria cum ſuppreſſione tandem urinae, & aſſidua in ſomnum propenſio ſuccedebant: pulſus plerumque parvus, & calor naturali fere ſimilis; ſanguis autem venis eductus, non amplius niger, denſus, & cruſta polypoſa obductus in ſuperficie, ſed mollis, & rutilans in omnibus inventus eſt

Ex hac breviter enarrata hiſtoria morbi difficile admodum non erit intelligere eum a colluvie putrido-biliosa in primis viis collecta, & ad ſanguinem delata, tamquam a cauſa proxima produci, ac foveri, præſertim ſi bilis naturam perpendamus omnium noſtri corporis humorum ad putreſcendum aptiſſimam, & ad reliquos omnes

ſuccos, quibuſcum facile miſcetur, inficiendos, corrumpendoſque accomodatiſſimam, adeò ut nullus ſit morbus, cujus melius intelligatur, ac cognoſcatur a Medicis natura.

Quod modo neceſſario inveſtigandum omnino duximus, illud maxime eſt, a qua potiſſimum cauſa putrida diatheſis generatim in corporibus exſuſcitata ſit, unde poſtea epidemica haec conſtitutio exorta eſt. Ego, ut meam in re tam difficili ſententiam qualemcunque exponam, illam in eodem aeris vitio, a quo infelix rubigo, exitioſus ille ſegetum morbus, derivata eſt, conſtituendam arbitror. Quale autem ſit hujuſmodi vitium, ſtatuere fortaſſe non fuerit ita facile; ex obſervatione tamen facta eodem anno in agro Senenſi, mihique fideliter narrata, ibi tantummodo a rubigi-

ne immunes fuiſſe fruges, ibique eas uberrimos procreaſſe fructus (*a*), ubi aer circumfuſus acido ſulphuris è fodina proxima in altum exhalante aſſidue replebatur, affirmare non dubitaverim conſiſtere illud in defectu ipſiuſmet acidi vitriolici in aere naturaliter hoſpitantis, a quo ſem-

(a) In riſpoſta della Stimatiſs. di V. S. le dico eſſer vero che mia Sorella Maria Detti nell' Ercolani fecè nel Territorio di Pereta a confino delle Zolfatare nella Terra della Cappella di S. Bernardino un' ottima raccolta, avendo ſeminato ſome cinque di Grano, ed il prodotto arrivò a moggia 24., e lo Stajo del medeſimo è di libbre 62., e 63.

Sò che ancora il Sig. Pancrazio Serrair fece buona raccolta nelle Terre di detto Poggio Delci vicino alle Zolfatare ec.

Magliano 6. Marzo 1766.

Devotiſs. Serv. Vero
D. GIACOMO DETTI.

ſemper ubique praeſente, corporum exuſtio, fertilitas agrorum, vegetatio plantarum, & animalium vitae conſervatio maximam partem oriri videtur, adeo ut ab aere ob illius acidi inopiam in alcaleſcentem naturam converſo, tamquam a cauſa univerſali, & primaria, diſpoſita quoquomodo fuiſſe indiſcriminatim corpora omnia ad putridam hanc fermentationem ex levi quacumque cauſa concipiendam non immerito ſuſpicari poſſimus.

Suſpicionem autem hanc noſtram fovet quam maxime mutata illa ſanguinis compages, coloratior in omnibus, & mollior inventa, quae auctam (*a*) ab alcaleſcente aere chyli

(a) Sanguificationem chyli, quae facile demonſtratur a nullo poſſe oriri attritu, neque ab intima ejuſdem chyli permixtione cum

chyli sanguificationem in pulmonibus aperte declarat. Hujus vero acidi

---

cum sanguine, censemus unice consistere in particulari solutione, quae in ejusdem chyli compositionem potiùs quam in continuitatem ejus naturaliter inducitur; Praecipua namque, & essentialis differentia, quae inter chylum, & sanguinem notanda est, in eo consistit, quod chylus ex Animali eductus acescat quidem facile, sed difficillime putrescat: contra autem sanguis similiter eductus facile in putredinem ruat, acescentiam vero minime concipiat. Ex quo colligimus in sanguificatione extrahi e chylo balsaminum acidum illud, cujus interpositione chylus ipse ne putrescat ita praeservatur, antequam in sanguinem sit conversus, ut potius acescentiam concipiat; ideoque sanguis ut eodem balsamino acido in sanguificatione nimium depauperatus in putredinem potius, quam in acescentiam vergat. Quamobrem conversio chyli in sanguinem videtur nobis consistere in exposita solutione compositionis, quatenus ex componentibus ejusdem chyli portio acida ipsius jugiter extranitur.

Signa evaporationis acidi, nempe sanguificationis aliquando observata fuere in colore

acidi inopia haberi facile potuit ab alcalescentibus exhalationibus terrestri-

---

colore rubro, quem insensibilis perspiratio in collaria violacea induxit; nec non in rubigine, quam ob eandem perspirationem aliquando contrahunt ferreae claves crumena delatae. Vid. Journal des Sçavans. An. 1685. Tom. 13. pag. 124.

Qua ratione aer externus humida corpora exsiccat, humorem ipsum ad se attrahendo, eadem dicimus inspiratum aerem ad se attrahere ex chylo per pulmones transeunte acidam partem ejus, qua sic exhalante sanguificationem fieri ostendimus.

Ruber vero color sanguinis, in quem convertitur in prima sanguificationis periodo albedo chyli, tribui debet phlogisticae globulorum materiae, quatenus ipsa, exhalante inde acido, sic laxatur, ut ab externis ubique praesentibus, & solventibus igniculis in majorem resolvatur, atque exaltetur tenuitatem. Figi namque ab acido phlogisticam corporum materiam, ut ab ipso etherogeneam, ne ab igniculis facile arripiatur, pluribus comprobatur observationibus (ut videre est apud Juncherum Tom. 8. pag. 10. Col. 2. num. 8., & apud Casatum De Igne Diff.

reſtribus in altum copioſe elevatis a calore aeſtatis nimium fervidae praegreſſae, quorum cauſtico ſale foetae etiam fortaſſe nebulae mane ſurgentes in campis, rubigine adeo infeſta, atque erodente fruges fere omnes infecerunt, (*a*) ut ſpem futurae

Diſſ. 8. pag. 244.) ideoque exhalante acido laxari debet phlogiſtica globulorum materia, & ab igniculis facilius reſolvi; rutilantem vero induere colorem materiam ipſam, pro ut a permixtione acidi ſatis libera, & extricata, a ſolventibus arripitur igniculis, demonſtrant praeter alias obſervationes, rutilans color igneus, quem concipit atrum carbonum oleum, dum ab igniculis in candentem reſolvitur ignem. Ex his igitur facile erit unicuique intelligere quomodo ab alcaleſcente aere augeri potuerit chyli ſanguificatio, a qua ſanguinis color, & mollities, quam in hac epidemica febrium conſtitutione obſervavimus, derivata eſt. Fromond. Theſ. De Sanguificat.

(a) Quod frumenta, arbores & plantae ex vitioſo rore, qui nomine rubiginis venit Phy-

turae messis ademptam lugere agricolas tamdem coegerint; donec superveniente dein autumno calido, &

Physicis, multum detrimenti patiantur agricolae, & horti culturae dediti optime norunt. Peccat ut plurimum sale quodam subtili caustico, quo etiam hominibus nocet, & hanc ob rem legi potest. Obs. 93. Misc. Nat. Cur. Dec. 3. 9. & 10., ubi commemoratur, quod ejusmodi rore gustato ulcuscula in labiis suscitata, & qui nudis pedibus incesserant, pustulis, & ulcusculis nigricantibus inde vexati. Hof. Tom. 2. Med. Rat. pag. 130. §. XX.

Ab his autem terrestribus exhalationibus suum quoque habuisse ortum matutinum illum rorem frugibus adeo infestum anni elapsi, luculenter demonstrat, praeter alia, ipsamet culmis vix super terram emersis innata rubigo, cujus caustico sale sensim exesis eorundem canaliculis, & nutrimento granis totius spicae penitus intercluso, non modo eorum maturitas omnino fuit impedita, sed farinaceae quoque intus nondum concretae substantiae fluidiori exhalata, vel absorpta materia, grana ipsa frumenti extenuata nimium, atque exinanita omnia inventa sunt.

& humido, ſlantibuſque ventis auſtralibus corporum robur plurimum infirmantibus, cutiſque perennem exſpirationem minuentibus, febres putrido--bilioſae mali moris prodire in vulgus ſtatim coeperunt. Haec noſtrarum febrium a me nuper expoſita cauſa magis, magiſque confirmatur cùm ab iis conſtitutionibus aeris a Medicis diligenter notatis, ut auſtrinae illae peſtis praenunciae ab Hyppocrate primum deſcriptae, tum ab orientalibus plagis hujuſmodi epidemicis morbis omnium maxime obnoxiis, demum a locis, ubi aer, vel paludoſis effluviis, vel morboſis exhalationibus, ut in Noſocomiis contingit, aſſidue inquinatur, a quibus omnibus aereum acidum vel omnino deſtrui, vel enervari plurimum ſolet. Caloris autem vim aereum acidum i-

ta

ta obtundendi, ut corpora quaeque putridae fermentationi fiant aptiora, praeter ea, quae Chemici docent de igne fales acidos in alcalicos immutante, experimur quotannis in morbis aeftivis, fere omnibus tunc temporis putrido-biliofis, & in magna fructuum acidorum copia, quam provida nobis tunc Natura fuppeditat ad arcendam putredinem, quam in corporibus aeftivus calor facilè excitaret, donec appetente hyeme, & ventis borealibus flantibus, referto denuo aere novo acido, quod falium alcalicorum luxuriem fenfim depafcitur, tanta dein fanguini denfitas accedat, ut hyemales ab inflammatoria diathefi producti morbi generatim exoriantur.

Primariae huic, & univerfali caufae aliae quoque acceffere, qui-

bus,

bus pauperum praesertim corpora, ad putridam hanc labem facilius contrahendam magis apta redderentur, atque accommodata, uti inedia, ob summam rei frumentariae difficultatem, victus pravus, & moeror assiduus caritatis semper socius, & comes, a quo fortasse gravissimam tot patrum familias (*a*) repetendam jacturam non alienum a veritate existimarem. Quantum detrimenti afferat fames experiuntur aliquando milites, qui post longas inedias ex levi quandoque causa,

&

(a) Inter causas tantae jacturae. ego, preter moerorem, nimium quoque Veneris usum connumerarem, utpote qui, juxta Sanctorium, calorem naturalem minuit, indeque perspirationem; calefacit jecur, & renes; hinc in hepate bilem, in renibus nephriticum affectum, in stomaco crudum succum, &c. generat. Tissot. De Morb. ex Manustupr. p. 186.

& per se minime lethali moriuntur, & facillime in malignos, & contagiosos incidunt morbos.

Quamvis autem hoc verissimum sit, nec ego audeam inficiari, assentiri tamen iis minime possum, qui febres nostras ab inedia unice ortas perperam voluerunt, cum experientia constet illas non in eos tantum saeviisse, qui rei familiaris angustiis magis premebantur, vel male nutriebantur, ut agricolae, sed cujuscumque ordinis, ac conditionis homines, praesertim si ad aegros accederent, indiscriminatim invasisse, aliasque etiam longinquas gentes contagione sua contaminasse. Cum itaque morbi universales universalem quoque causam agnoscant necesse sit; ab aere igitur inducta jam in corporibus nostrarum febrium semina delitescere merito

statu-

ſtatuendum eſt, quemadmodum omnes quoque epidemicorum morborum Scriptores (*a*) cum Graeci, tum Latini ſuſpicati ſunt.

Non

(a) Primam autem harum contagio infeſtarum febrium originem recte omnino cum Hyppocrate ex communi aeris vitio deducendam eſſe reor. Hoffm. Tom. 4. p. 1. ſect. 1. cap. x. De Febr. Epidem. p. 172. §. 9.

L'aria diventa morboſa. I. Per cagione di certe eſalazioni ſotterranee, cauſate dalla fermentazione de' ſali, zolfi, ed altre materie inſieme unite, dalla forza de' fiumi ſotterranei in occaſione che correndo or quà, or là, le terre per dove paſſano, di quando in quando mutano luogo, come ſi oſſerva ne' fiumi, che ſopra la ſuperficie della Terra vanno ſcorrendo. II. Diventa malſana l'aria per cauſa de' vapori eſalanti dall' acque paluſtri, e ſtagnanti. III. Per eſalazioni Cadaveriche. IV. Di Cloache. V. Per venti inſalubri. VI. Per un' eceſſivo freddo. VII. Un' eceſſivo calore. VIII. Grand' umidità. IX. Gran ſiccità, e finalmente per altre affezioni, che non hanno nomi proprj, perche poco conoſciute. Fromond. Riſpoſta Apologet. pag. 490.

Non eadem in omnibus fuit morbi vis, non duratio eadem, neque idem exitus. Qui temperamento bilioſo eſſent, vel aliquo hepatis vitio antea laboraſſent fere omnes in extremum vitae periculum adducebantur, quamquam in eorum pleriſque facto poſt decimum quartum diem abſceſſu gangraenoſo in oſſe ſacro, poſtea decimo quarto vel vigeſimo primo, aut vigeſimo-ſeptimo, & aliquando etiam ultra trigeſimum morbus rectè judicabatur, fluentibus interim copiosè urinis turbidis, & grave-olentibus, manantibus toto corpore ſudoribus, alvo biliosa multa emittente, & aliquando etiam ad glandulas parotides appellente morboſa materia, imperfecta tantummodo cryſis ſequebatur. Qui vero ad mortem devenirent, vel hepatis, vel ſtoma-

 chi,

chi, vel Inteſtinorum, praeſertim gracilium, vel Pulmonum gangraenoſa inflammatione interibant, facta de repente metaſtaſi ab hepate ad pectus; quamvis exenterata cadavera frequentius nobis oſtenderint ventriculum, & inteſtina putrida bile, & lumbricis tantummodo referta ſine ullo internae inflammationis indicio. Haec fere in omnibus fuit ſolutio morbi, ſi paucos excipias aegros, qui Ictero ſuperveniente convaluerunt, & adoleſcentes duos, quibus ſeptimo die ſanguis e naribus copioſe fluxit, morbo tamen uſque ad vigeſimum primum diem producto.

Hac igitur morbi natura conſtituta, hiſque apprìme cognitis cauſis, ad enarranda praeſidia, quibus ſum uſus in profliganda putredine, morboque penitus extirpan-

do erit breviter descendendum. Et primum quòd attinet ad venae sectionem, ab ea vel penitus abstinendum, vel, si quando necessitas urgeret, ea parce, & primis tantum morbi diebus utendum esse existimavi, ne fractis magis aegri viribus augeretur putredo, & humores, qui jam ad dissolutionem spectabant, dissolverentur amplius. Et re quidem vera mea me non fefellit opinio; nam qui largioribus, iteratisque venae sectionibus morbum hunc aggredi voluerunt, vel immanioribus convulsionibus, ac deliriis diù multumque vexatos suos aegros tandem interiisse, vel difficilius, ac serius convaluisse mirati sunt. Quantum venae sectio prodest in morbis ab inflammatoria sanguinis diathesi ortis, tantum in iis obest, qui a putrida humo-

rum colluvie, & præſertim ab alcaleſcente bile gignuntur; Eſt enim in illis plerumque ſanguinis plenitudo quaedam, & denſitas, in his vero potius ad diſſolutionem proclivitas cum laſſitudine corporis universali conjuncta; quare vel nullus venae ſectioni locus videtur, vel in principio tantum morbi cum aegri vires adhuc conſtant, & vehemens urget cum aeſtu nimio febris. Hoc autem in noſtris febribus non ita frequenter contigit; nam tanta aliquando cum exſolutione virium incipiebant, ut paucis ab initio morbi elapſis diebus ex uno in alterum latus vertere ſe vix poterant aegri, qui penè, toto reſoluto corpore in lecto jacebant: tanta eſt nonnunquam virulentae bilis exitioſa vis, ut inſtar quaſi veneni functiones omnes corporis brevi labefactet, & deſtruat.

Mi-

Mirum propterea videri non debet, si Hyppocrates, aliique principes Greciae Medici, & qui postea illos sequuti sunt, praestantissimi in Arte viri (*a*) nobis scriptum reliquerint tam caute esse procedendum in sanguine mittendo, cum ab hujusmodi biliosso fermento orirentur morbi, ut ne in Pleuritide quidem, quoties a bile produceretur sangui-

 nem

(a) Monuit Lancisi febrem epidemicam describens caute cum venae sectione agendum esse; Ita enim inquit = *Non nisi in corporibus probe nutritis, vermiumque labe non affectis Venae sectionem adhiberi velim*. Hist. Febr. Epidem. Baln. Reg. & Gorterus Syst. Prax. n. 230. Cap. De Febre Biliosa sic habet = *Abstinendum a venae sectione* = & alibi = *Nocet venae sectio in morbis, qui excitantur a Cacochimia* = ut innumeros sileam Auctores cùm veteres, tùm recentiores.

nem mitti (*a*) abſque periculo poſſit. Hoc in pluribus aegris ſub initium veris maxime confirmatum vidimus, qui conſueto morbo correpti, & ſanguineum mòdo, mòdo croceum eiicientes ſputum, cum tuſſi, & dolore lateris dextri (*b*) poſt peti-

(a) Sanguinis miſſiones in Pleuritidibus bilioſis ex obſervationibus clariſſimi Guidetti vetat Bianchi in hiſtoria Hepatis P. III. pag. 248. ita inquiens = Hoc *praeſidii genere in biliari pleuritide, ut ut acutae ſigna incauto colluderent, plurimos repentine proſtratos, & ad ſeptimam, aut nonam e vivorum numero ſublatos, dolenti certe experimento perſpeximus* = Quod pariter in hac epidemica conſtitutione contigiſſe obſervavimus.

(b) Dolores circa latera fieri ſoepiſſime a materia tenui, & bilioſa ventriculum obſidente jam demonſtravimus in expoſitione Coaca ver. 83. 1. lect. = *Quibus in Febre dolore lateris fiente alvus multa aquoſa, ac bilioſa egerit, ii allevantur* = & de eodem tractatur in praeſenti, ſtatuitqne Hyppocrates

repetitas sanguinis missiones, quarto, vel quinto morbi die misere omnes occubuerunt; quod tamen a-

 liter

tes hujusmodi dolore oppressos a phlebotomia plurimum laedi: Laeduntur vero pluribus de causis, & primo quia vigente Cacochimia, eaque biliosa, quantum purgatio juvat, sive alvi excretio, juvat autem plurimum, ut ex cit. Coaca patet, tantum sanguinis vacuatio laedit, sive sponte accedat, sive arte secta vena procuretur; hos praeterea laedit phlebotomia, quia cum humor noxius tenuitate peccet, sanguine misso, adhuc tenuior redditur. Quare accedente febre, quae succos exurit, & tenuitas augetur, & acrimonia, venaeque per phlebotomiam inanitae cacochymiam biliosam trahentes, morbum geminant.... & infra subdit. Quae omnia attendens prudens Senex venae sectionem in febribus putridis [has febres ex bile appellat ipse] adeo suspectam habuit, ut pro earum curatione nullibi eam admiserit. Martian. in annot. ad sect. 3. Coac. Hypp. p. 411. Si quis de noxa venae sectionis in hujusmodi morbis plura desideret, legat Tissot. de venae sectione in febribus biliosis pag. 12.

liter evenisse certum est illis, qui effusionem hanc sanguinis tantam formidantes, putridam potius bilem, vel per superiora, vel per inferiora eiicere opportunè curarunt. Praeterea Medicus, utpote Naturae minister, Naturam tantùmmodo sequi, atquè imitari debet; Cum itaque experientia constet, paucissimos, ne dicam plane nullos esse morbos, quos integre judicet haemorrhagia, innumeros contra, quos alvi dejectio solvit; quomodo igitur officio Medici is vere fungi dicetur, qui purgationibus nimium parcens, largis, iteratisque venae sectionibus quovis tempore morbi, & in quovis morbo adhibitis Naturam fatigat, ejusque vires minuit, atque pessundat? sanguinem incisa vena mitti, ajebat quoque Celsus, novum non est, sed nul-

nullum fere morbum esse, in quo non mittatur, hoc novum est; ex quo erui facile posse videtur, parcius aestate, in qua morbi fere omnes a bile, quàm hyeme, in quo ab inflammatoria sanguinis diathesi oriuntur, sanguinem esse mittendum. Ego equidem, si perpendere attente velimus, cur nostris in regionibus tam raró contingant crises manifestae, ac perfectae, quales apud Hyppocratem legimus, hoc non a varietate tantum loci, ut vulgo creditur, pendère existimarem, sed imbecillitati potius naturae aegrotantium, largis, ac saepius iteratis venae sectionibus indiscriminatim institutis fortasse nimium debilitatae tribuendum palam quoque affirmaverim.

Cum itaque in primis viis, & maxime in hepate hujus morbi fo-
mi-

mitem latère non dubitarem, ſtatim lenibus evacuantibus a ſedibus ſuis illum exturbare conſtitui, ne nova in dies delata in ſanguinem vitiata materia tantas morbus adipiſceretur vires, ut magis magiſque diſſoluta ſanguinis, & humorum compage, viſcera tandem corrumperet, atque labefactaret. Et re quidem vera non raro mihi ſeſe obtulit obſervandum, bilioſum illud virus per fermentationem febrilem ad tantam volatilitatem evectum, ut ad nervos uſque pertingens, motus omnes corporis adeo turbaſſe, ac pervertiſſe, ut ne minimum quidem temporis articulum aegri in lecto quieſcere potuerint immunes a convulſionibus, quae neque nitroſis, neque camphoratis, neque cinnabarinis remediis mitigabantur, quia intima, & minima nervoſa

cor-

corporis vaſcula omnibus fere medicaminibus impervia penetraverat virus, a quo ſumma quoque virium dejectio repetenda videbatur.

Inter evacuantia, praeter Ipecacuanham, ſi per ſuperiora purgare oporteret, & clyſteres ex decoctione florum Chamaemeli cum pauco nitro, & melle nonnumquam paratos, nullum ſane accommodatius, meiſque votis magis reſpondens inveni praeter decoctum Tamarindorum, in quo drachmae duae Cremoris Tartari ſimul ebullierint, cui aliquando pro opportunitate, addebatur uncia una Caſſiae. Atque hìc nemo ſit, qui mihi regerat, purgationem in principio morbi tamquam parum tutam minime convenire, auctoritate fortaſſe ductus Hyppocratis docentis = *Concocta medicari oportere, non cruda,*

ne-

neque in principiis ; nam qui ita ratiocinaretur, male ejus mentem se assequtum ostenderet ; Senex enim illius tantum materiae praecipit expectandam esse coctionem, quae sanguini intimè jam commixta, febrilem in tota ejus massa excitavit fermentationem, non vero illius extra vasa sanguinea collectae, vel in Hepate, vel in primis viis haerentis; Haec enim instar quasi hausti veneni, quam citissime extra corpus eijcienda, ac propulsanda est. Hujusce rei veritatem probavit eventus; nam qui a principio morbi usque ad finem alvi dejectionibus obnoxii aegrotantes aeruginosam bilem copiose reddiderunt, facilius convaluere, nec tantam morbi vim passi sunt.

Quod autem cùm in his, tùm in aliis quoque morbis inflammato-

riis

riis ad alvum movendam improbare nunquam destiti, fuit oleum amygdal. dulc., quod obesse plurimum, prodesse vero numquam semper arbitratus sum, si stomachum vel febre aestuantem, vel putrida bile inquinatum consideres, ubi acorem brèvi contrahat necesse est, & rancidum fiat (*a*). Ex quo factum

(a) Talis est oleorum proprietas, ut quotiescumque multum caloris adest in corpore, brevi deposita emolliente, ac demulcente vi, rancidam acquirant acrimoniam, verissimumque hìc adagium. *Oleum igni addunt*. Illorum usum in biliosis morbis jam dissuadet Hyppocr. Observ. *Quibus pingue abundat, bilis flava gignitur*. Epid. lib. 6. sect. 6. Bianchi in Hist. p. 3. pag. 698. sic monet de Febrib. Biliosis agens. *In pluribus observavi post exhibitum in jure Oleum amygdalinum intensiorem in posterum febricitationem*. Primerosius de Febr. lib. 2. cap. 9. Oleosa, & Amygdalina in febribus, rancoris

ctum est, ut veteres Medicos internè oleum adhibuisse numquam legamus. Imò saepe ego miratus sum Medicos illos, qui adversantes, & repugnantes aliquando sensus minime audientes, quasi nuncii rerum, quibus indigemus, & interpretes valde fidi non essent, aut ad usus hominum necessarios facti, certa quaedam remedia, invita quasi Natura, aegrotantibus suis propinanda tamen exhibent, uti oleosa, stomachum plerumque moventia, cum experientia contra nos doceat, & Boerahavius afferat, quòd *non raro nos quoque impellimur instinctu quodam automatico ad applicationem reme-*

coris metu, suspecta habebat, & in morbis magno stipatis calore celeberrimi Practici, testis instar omnium Ill. Vanswieten, olea formidant. Tissot. Febr. bil. Lausann. p. 52., & 53.

medii caeterum ignoti, ut in Brutis quotidie cernimus.

Narcotica etiam leniſſima ad arcendas vigilias contumaciores, & convulſiones ſedandas adhiberi ſolita, attenta morbi natura, non modo ſuſpecta habui, ſed tamquam noxia in his febribus repudianda eſſe omnino arbitratus ſum. Ab his enim corpora magis infirmari, febrim cum calore ſaepius augeri, humorum coctiones, evacuationeſque turbari, ac retardari, & aegros tandem moroſiores, inquietioreſque fieri obſervavi.

Sed ut ne latum quidem unguem ab Hyppocratica Medicina deflecterem, victum omnem animalem aegris omnino interdictum volui, & panem tantùm in aqua coctum cum uvis, vel prunis ſiccis mane, & veſpere ſumendum con-

ſul-

ſului. Potus vero fuit, vel aqua ſimplex cum ſucco limonum, vel cum aceti tantillo: huic adjungebatur antiſeptica aliqua decoctio per diem ſumenda, modò ex gramine, & floribus Chamaemeli confecta (*a*), modò ex foliis Scordii, & radicibus Serpentariae Virginianae, vel ex cortice Chinae Chinae parata prout morbi magnitudo, & natura poſtularet. Ab hac exhibita decoctione non ſolum putredini retardatum progreſſum vidi, ſed inteſtinis reſtituto aliquantum tono vermes quoque, vel naturaliter foras ejectos ſaepe obſervavi, vel enemate tantum adjecto. Si vero

ad

(a) Virtus antiſeptica Serpentariae Virgin., Chamaemeli, & corticis Chinae abunde conſtat ex clar. Jo. Pringle Mem. 11. Eſper. 12. 13. Appendice all' Oſſervazioni ſopra alle Malattie d' Armata pag. 242. 243. 244.

ad anthelminthicorum usum aliquando esset confugiendum, Semen Santonicum prae coeteris profuisse observatum est. Pulveres quoque bis, aut ter in die ex Nitro, Camphora, & Succino albo confectae, non sine aliquo aegrotantium emolumento adhibitae fuerunt.

Quod si, vel quia neglecto assiduo antisepticorum, aut evacuantium usu, vel quia hepate vitio aliquo antea laborante ad exitum nondum parata diu multumque in hypocondriis subsisteret, ibique aestuaret bilis, tunc praeter mentis perturbationes, & stupores, singultus quoque, & tympaniticus ventris tumor ab ellastico intus genito per fermentationem aere excitabantur, & aucto nimium in regione hepatis ad tactum doloris sensu, urina difficulter primum redde-

batur, dein ex toto ſupprimebatur; adeo ut Chirurgi manu opus eſſet ad eam extrahendam. Qui talem urinae ſuppreſſionem paſſi ſunt aegri, omnes interierunt, etiam ſi morbus omnino ſuperatus aliquando videretur, & recuperandae ſalutis non dubia ſpes affulgeret, quod certe veſicam gangraenoſa labe affectam a morboſa illuc ſenſim appellente materia manifeſte declarat, praeſertim ſi hujuſmodi ſuppreſſionem mingendi ſemper ſtimulo penitus carentem conſideremus. Quibus vero ſine urinae ſuppreſſione tantummodo venter intumuit, uſus tàm internus quàm externus aquae gelidae mirifice profuit; nam brevi illum ſubſidere, & ad ſuam redire mollitudinem, imminuta plurimum ſpirandi difficultate, viſus eſt.

Quod

Quod vero attinet ad Exanthemata ſumma cutis occupantia, illud ſilentio minime praetereundum duxi, quod ad haec foras expellenda nonnulli linimenta ex oleo Scorpionum mira praeſtitiſſe praedicaverint, quia paulo poſt ab applicito hoc oleo coloratioribus maculis univerſa cutis notata conſpiciebatur; at mihi rem accuratius perpendenti aliter viſum eſt; Maculae enim non ab olei vi morbificam materiam extùs evocante, ſed illam potius in vaſis ſub Epidermide locatis jam haerentem inflammante producebantur; adeo ut hoc tantum ab hujuſmodi linimentis praeſtaretur, quòd obſtructiones Epidermidis antea inconſpicuae, per inflammationem in iis ab oleo noviter excitatam, macularum rubrarum ſpecie induta conſpicuae red-

debantur. Ex quo facile intelligitur non parum decipi, qui ad expellendam a centro ad circumferentiam corporis morbi materiam, linimentis vel ex oleo, vel ex balsamis utuntur; quae poros cutis obstruendo illius potius exhalationem intercipiunt, & calefaciendo molestè corpus excruciant. Itaque his semper anteponendum existimavi cutim universam, vel aqua florum Sambuci, & Rosarum, vel aqua simplici aceto mixta, & tepefacta mollire, a quibus refrigerato paulisper corpore, & cute reserata placide semper transegisse noctem, obliteratis fere penitus maculis, mane aegrotantes inveni.

Ad erigendas autem vires, cum opus esset plurimum fractas, nullum in hoc morbo remedium inveni efficacius & promptius hau-

ſtu vini generoſi, quem valde quoque appetebant aegri, ideoque poſthabitis omnibus aliis cardiacis, ad vinum tamquam ad ſacram ancoram utiliter ſemper confugi.

In toto morbi decurſu nihil magis mihi cordi fuit, quàm ut apertis quotidie feneſtris renovaretur identidem aer cubiculi, & aceti (*a*) ebullientis exhalationibus aſ-

(a) Acidarum exhalationum vires in profligandis, ac penitus extirpandis hujuſmodi febribus epidemicis maxime confirmantur obſervatione Friderici Hofm. qui Tom. 2. Medic. Ration. Cap. de Venenis in aere contentis pag. 132. ait = *Inter omnes conſtat Halam noſtram ante uſum Carbonum foſſilium, quorum jam ingens copia ad ſalis coctionem accenditur, multis malignis morbis, febribus petechialibus, ac dyſenteria fuiſſe infeſtatam, & malo ſcorbutico huic Urbi familiariſſimo obiiſſe quamplurimos, qui omnes morbi per Divinam gratiam jam fere per viginti annos, ex quo carbonum foſſilium uſus increvuit, ex finibus noſtris exceſſerint.*

ſidue corrigeretur. Praeterea ſuadebam, ut mutato frequenter lecto, & induſiis aegrotantium munditiae, quoad fieri poſſet, ſtuderent Adſtantes, quae omnia ad morbum minuendum, ſublevandoſque aegros plurimum profuiſſe expertus ſum.

Illud quoque, utpote obſervatione dignum, non eſt omittendum, quod progrediente hyeme, & gelu magis rigente morbus novas ſemper vires acquiſivit in ea praeſertim regione Civitatis, quae loco condendis cadaveribus publicè deſtinato proximior eſt, tùm quia ibi fortaſſe aer putreſcentium cadaverum exhalationibus quoque inquinabatur, quarum vis multiplicabilis neque a frigore, neque ab anni tempeſtatibus facile deſtruitur, tum quia imminuta a frigore inſenſibilis exſpiratio in iis corporibus,

bus, in quibus ſuſcepti intus jam morbi fomes deliteſcebat, morbum ipſum multiplicavit, quamvis autem pluribus conſtet obſervationibus, hujuſmodi morbos aliquando mutationes ſubire conſueviſſe omnium maximas eo praeſertim temporis intervallo, quod inter utrumque Solſtitium, aut Equinoctium intercedit.

Antequam ſcribendi finem faciam haec adnotare libet, quae ſententiam ſuperius a me allatam de univerſali, & primaria cauſa epidemicae hujus conſtitutionis confirmare videntur. Morbus qui menſe Aprili Anni ſubſequentis aliquantulum diminutus videbatur, circa finem Maii recrudeſcere coepit poſt aliquot dies praegreſſos, quos exceperant noctes valde frigidae cum nebulis quotidie mane e Terra in

altum ſurgentibus, & putidi neſcio quid redolentibus, quemadmodum experiuntur ii, qui loca incolunt humilia, atque inſalubria, uti maritima quaedam, in quibus hujuſmodi terreſtribus exhalationibus imbutus aer, ſolis radios uſtoriae lentis inſtar adeò cogit, ut ignavos quoſdam aeſtus interdiù producat, a quibus incolarum exſpiratio plurimum intenditur, noctu vero a frigore ſtatim minuitur, ac cohibetur. Ex hac igitur obſervatione ſuſpicari merito poſſumus, primariam & univerſalem noſtrarum febrium cauſam ab aere alcaleſcentibus exhalationibus terreſtribus plurimum foeto, ut initio ſtatuimus, omnino eſſe repetendam. Aerem enim noſtrum, qui natura ſua ſubtilis ſemper, & purus eſſe ſolet, ſi ſublimem totius Civitatis poſitionem ſpectes

ctes, aliquod ab anno praeterito contraxisse vitium vix dubitare me sinit haec a me nuper facta in homine quodam robusto observatio, qui circa finem mensis Maii frigidiusculae aurae leniter spirantis afflatu invitatus, cum prima nocte sub dio parum obdormivisset in prato, statim in duplicem praeter spem incidit Tertianam, ut in locis insalubris aeris contingere quotannis videmus, quae postea in febrem & ipsa epidemicam transiit, sed minus periculosam, & gravem. Ex quo factum est, ut ab eo tempore, quo hujusmodi Tertianae grassari coeperunt, morbus etsi non omnino fuerit profligatus, multum tamen de priori acerbitate, ac feritate remiserit.

Quamquam fateamur necesse est, eam semper fuisse naturam epide-

pidemicae hujus conſtitutionis, ut ſi quando morbus ceſſare omnino videbatur, novas ſubitò adeptus vires iterum augeretur. Hoc diebus praeſertim canicularibus hujuſce anni experti ſumus, in quibus poſt nimios calores morbus extemplo recrudeſcere coepit & conſuetis remediis obtemperare quoquomodo reſpuens, non immerito ſuſpicatus ſum, eum a praegreſſo calore aliquam ſubiiſſe mutationem, ac proinde aliam ab ea, qua antea uſi fuimus, medendi viam eſſe tentandam, atque ineundam. Tanta enim in primis viis neq. Vermium, neq. putridorum humorum vis hodie collecta obſervatur, & febres cum aeſtu nimio conjunctae fere ſemper incipiunt. Subita haec morbi mutatio bilis tenuitatem, & alcaleſcentiam nimium fortaſſe calo-

re

re auctam in corporibus ostendit; quae non ita facile, ut antea, educitur per inferiora. Ex quo factum est, ut sudore magis, quam fluxu ventris solvi febres modo feliciter videamus; dummodo initio morbi latitans in primis viis putridus humor Emetico aliquo fuerit eductus, juxta illud Hyppocratis monitum, in quo ipse Corpora Æstate facilius per superiora quà per inferiora purgari autumat. Novum autem hoc morbi incrementum maximè se prodiit in Nosocomio, ubi calore tempestatis, & multitudine aegrotantium aer corruptus magis, magisque alcalescens factus est, unde non solum ibi perpetuitas morbi, & costantia, sed nova quoque ejusdem propagatio per Urbem universam timenda est. Quàm facile conferta sanorum quoque homi-

mi-

minum multitudo in ſpatio anguſto vivere coacta epidemicos hujuſmodi morbos excitare poſſit nemo eſt qui non videat; quare nullum hac in re efficacius, atque opportunius remedium inveniri poteſt, quàm raritas aegrotantium tantopere neceſſaria ad epidemicam labem penitus extinguendam, ut ſoepius monuimus, & rerum acidarum cum ex vegetabili, tum ex minerali regno petitarum aſſiduus potus, & frequens ad eam praecavendam.

De

De Moderatione ingeniorum in Diſciplinarum Studiis

ORATIO.

ETſi perjucunda mihi ſemper fuit occaſio dicendi ex hoc ampliſſimo loco, ubi, ad Studia Literarum alacritèr capeſſenda adoleſcentium animi quotannis inflammari conſueverunt, hodierno verò die, quo PETRO LEOPOLDO MAGNO ETRURIAE DU-

CE

CE felicitèr imperante me ad hoc exequendum munus publicè destinatum esse intellexi, multò est jucundissima. Quid nam contingere optabilius poterat dicturo mihi Senis ex veteri consuetudine apud Vos, humanissimi Auditores, quotquot estis virtute, & genere Spectatissimi, quàm in hac solemni Studiorum nostrorum instauratione, meam hanc qualemcumque Orationem a laudibus Sapientissimi atque Eruditissimi Principis exordiri. Fuit enim natura inclinatus ad omne genus disciplinarum, & ad viros doctissimos, qui eas profitentur, sublevandos, atque extollendos voluntate tam propensus quam qui maxime. Ex quo libet spe certissima augurari fore ut summa illa, ac propemodum divina liberalitate plenus, ac vigilantia, qua FRANCISCUS AU-

AUGUSTUS PATER Academiam hanc noſtram erexerat, atque inſtauraverat, ut afflictae, ac penè intermortuae in hac Civitate Literae ad priſtinam dignitatem revocarentur; non ſolùm idonea tanto operi perficiendo ſubſidia comparet, atquè augeat, ſed novis, optimiſque Sancitis Legibus, ac diſciplina ſapientiſſimé conſtituta, omnibus palam faciat, eſſe optimi Principis, & Sapientis munus, publicas Academias ad communem utilitatem quotidie alere, fovere, atque in dies magis amplificare.

Itaquè nè muneri meo, nè Vobis, Adoleſcentes, quorum cauſa hic a me Sermo eſt inſtituendus, nè Principis amantiſſimi Literarum deſiderio quoquo modo deeſſe videar, conſtitui eam mihi ad dicendum materiam ſumere,

quae

quae diei hujus celebritate, dignitate loci, omnium Veſtrûm utilitate, non indigna prorſus viderentur. Quod me planè aſſequturum non dubito, ſi quantum in ſtudiis omnium Diſciplinarum detrimenti ſemper attulerint, & quotidie afferant quaedam hypotheſes confictae potiùs a phantaſia, quàm a rectà ratione proficiſcentes vobis oſtendero, viamque monſtravero, non qua itur, ſed qua eundum eſſe exiſtimarem, nè tam facile in illas, vel inviti plerumque cogamur incidere. Agite itaque AA., & dum ſuam Etruriae, ſuam Literis, ſuam Academiae noſtrae felicitatem gratulatur Oratio mea, non aures modò, ſed animum quoquè attentum, quaeſo pauliſper adhibete.

Eà eſt mentis humanae miſeranda conditio, ut quae cogitando aſſe-

aſſequi minimè poteſt, ea arbitrio phantasìae facilè plerumquè committat, ex quâ, vel nullam planè veritatem, vel aliquam tantùm veri ſpeciem, atque ſimilitudinem extitiſſe fatendum eſt. Hoc ad omnia ferè doctrinarum genera perficienda impedimentum, meâ quidem ſententiâ omnium maximum, eò magis familiare, magiſque exitioſum eſſe conſuevit, quò latiùs illa patent, & ad res plurimas pertinent, & quarum praecipua fundamenta ab experimentis, atque obſervationibus plurimarum aetatum omninò pendent. In his enim veſana illa mentis libido ſimùl conjungendi, atquè in unum veluti Corpus coagmentandi veritates illas propemodùm innumeras, quas continent, eaſque revocandi, ac redigendi ad generales quaſdam regulas,

gulas, ac formulas, quae eventus omnes comprehenderent, atque complecterentur, illa est, AA., quae nos a rectâ veri semitâ, quàm longissimè abducit, & ad naturam planè aliam ab ea effingendam, quam solertissimus rerum omnium Opifex molitus est, mentem, animumque facilè impellit. Illa demùm fons, & origo, undè hypotheses, & commenta, quae delet dies, profluxisse meritò est existimandum. Et re quidem vera, si Vos maximè commovent exempla, quibus ad animos quamcumque in partem pertrahendos nullum fortius, validiusque argumentum inveniri potest, percurrite, quaeso, universum illum Disciplinarum orbem, quo omnis doctrina continetur, sivè eæ sint, quae caussas, effectus, principia, & nexus

illa-

illarum rerum; ex quibus totum hoc Universitatis Corpus constare cernimus, nobis ostendunt, sive quae in instituenda vitae ratione, eâque ad normam verae virtutis regenda, in formandis Hominum moribus, in dirigendis eorum actionibus ad commune bonum societatis humanae tantummodo versantur, sive demum eæ sint, quae praecepta ad valetudinem tuendam, restituendamque necessaria, vel ad vitam a morbis immunem diutissime traducendam accommodata nobis proponunt, ne unam quidem ex illarum numero a teterrima hujusce pestis contagione liberam, atque immunem invenietis. Sunt enim hae complicatarum quoddam genus Disciplinarum, quod in experimentis, atque observationibus tamquam praecipuis firmisque fundamen-

damen-

damentis adeò nititur, ut illarum principia, niſi per aſſiduam, & numquàm intermiſſam analyſim explicari, atque enucleari poſſe neceſſariò ſtatuendum ſit.

Sola quippe conceſſa Hominibus philoſophandi ratio eſt analyſis; A primordiis autem rerum ſtatim ordiri ſolius Dei cuncta uno obtutu intimè proſpicientis eſt; Ac ſi effectorem, molitoremque Deum ſine injuria Architecto; Mundum verò univerſum cuidam aedificio perſimilem dicere liceret, quis Mortalium, AA, tantâ mentis, atquè oculorum acie praeditus, tamquè acri, ut illius partem aliquam extrinſecùs tantum, &, ut dici ſolet, in cute vix intuens, abſcondita intus omnia, atque involuta ſubitò cernere, atque intimè penetrare poſſe ſibi ſuaderet? At-

tamèn talia a Philoſophantibus, non ſine ſumma cum temeritate fieri paſſim videmus. Quamobrem affirmare palam non dubitaverim, hypotheſeon conditores, qui retruſam, atque involutam totius Mundi fabricam explicare conantur, Pſeudopoliticis quibuſdam Hominibus eſſe comparandos, qui rerùm gerendarum formâ, quaſi longo intervallo interjecto, tantum perſpectâ, ſcire tamen quid in intimis Regalium Aedium penetralibus ſecretò agatur animo ſibi fingunt, atque ea tamquam vera conſtanter affirmant, quae vel decernenda ſomniarunt, vel conjectura quadam, ne dicam potius divinatione aliqua, aſſequi potuerunt. Quod enim inuſitatum, quod grande, quod admirabile eſt, & magnæ præſertim rerum mutationes,

con-

conversionesque Sapientum animos commovent, mentemque percellunt, iisque maximè delectantur Homines in hoc vasto Terrarum Orbis Theatro, quemadmodum Romanam plebem in Circensibus delectari quondam consuevisse, memoriæ proditum est.

Longiore sanè temporis intervallo, quam putatis, AA, opus esset, priusquam speciosae omnes legerentur hypotheses confectae ab Auctoribus, quorum quisque pro arbitrio suo Tellurem hanc nostram destruit, renovatque, & quemadmodum Spheroidalem forma figuravit Cartesius, ita alii rotundam, cubicam alii, alii demum planam, & aequabilem supra, infra verò infinitis quasi hærentem radicibus effinxerunt, nulla alia profectò de causa, nisi quia Philosophantium

ple-

plerique, Divini Opificis instar, Mundum procreare non minus stultè, quàm arroganter uno se quasi verbo posse contendunt, adeò verum est, ut quod hypotheses plerumque efficit illud maximè sit admirabilium rerum studium, atque cupiditas, qua nos facilè delectamur, & ducimur; At natura tantum aequalitate in omnibus gaudet, & constantiâ, quantum mutationibus phantasia. Intereà nos in dissecandis, perscrutandisque per Anatomen subtilius excultam Animalculorum, Insectorumque extis assiduè occupati, nos in lineis, & figuris dimetiendis, earumque diversis proprietatibus curiosius investigandis quotidie intenti, vix, post tot, ac tantos exantlatos labores, duabus, vel tribus de rebus ad Naturam pertinentibus unà omnes con-

venimus de millibus, posteà disceptantes, de quibus nos in maxima ignoratione versari fateamur necesse est.

Quòd si Horatianum illud = *Audax Japeti genus* = aptè aliquando dictum accepimus, numquam profectò aptiùs prolatum fuisse censeo, quàm de illis, qui prima rerum elementa, quae a nostris cognitionibus quàm longissimè distant, temerariis potiùs ausis investigare conati sunt. Qui se verè Philosophos profitentur, ab omni prorsus animi affectu, privatisque omnibus studiis vacui, atque immunes, nihil praeter verum agnoscunt, nihil praeter utilitatem publicam sibi proponunt.

Sed quo longius progredimur, eò magis fateri cogimur, tales esse apud Philosophos quorumdam Meta-

ta-

taphiſicorum hypotheſes, quales apud mulierculas fabuloſas quaſdam narrationes fuiſſe novimus, quae vigère aliquandiù, & ſummo quoque in honore haberi ſolent, donec memoria fuerint recentiore, cùm verò novitatem exuerint ſenſim diuturnitate extabeſcentes intereunt omnes, & oblivione tandèm delentur; Contra verò Mathematicae veritates diù manent duraturae in aevum ferè perpetuum, dùm vanae plerumque eorumdem Metaphiſicorum imagines, velut aegri ſomnia, tranſeunt, atque evaneſcunt. Dicat mihi, quaeſo, unus ex Philoſophis, ſi tantum audeat, quomodo corporei quidam motus a voluntate pendeant, illique ſubitò pareant, dùm pedibus, manibuſque movemur; quid ſit illud, undè exordium vitae accepimus,

quo-

quomodò ea, quibus vefcimur alimenta in fuccum, & fanguinem convertantur, ac commutentur, & fexcenta alia quae praetereo, nè fortaffe nimis habeat prolixitatis Oratio, & illicò quomodò fingantur in mente rerum notiones, & undè fuam trahant originem facilè demonftrabo, illiquè libenter fatisfaciam.

Sed quoniam haec, aliaque permulta intelligere me vetuit rerum omnium parens natura, fatius propterea duxi meam illarum ignorationem fateri, quàm falfa pro veris, plenaque erroris multa proferre, & quamvis non omninò defperandum fortaffe quis putaret fore, ut aliquando novus Orbi fplendor affulgeat, qui tantas, tamquè caliginofas de noftris mentibus tenebras tandem excutiat, cum tamèn

mèn a Thalete illo Milesio ad haec usque tempora adhuc non apparuerit, hoc unum reliqui est, ut imbecillitatem nostram, nostramque infirmitatem agnoscentes, sapientissimum, sollertissimumque rerum Molitorem fateamur, & ab huiusmodi hypothesibus effingendis omninò caveamus.

Mirabile sanè dictu, AA.! Nos, qui ignoramus quomodo gignantur è terrà stirpes, herbaeque minimae quomodò alantur, & suum quaeque succum trahant, quae radicibus continentur, obducunturque libro, nos deniquè qui in summà rerum ferè omnium ignoratione versamur, intelligere, ac scire posse existimabimus, quomodo animi perceptiones oriantur in nobis, atquè excitentur? Oh fallaces Hominum spes; oh dementia singularis!

ris! Animus quasi rector, navis clavum tenens nobis datus est, in quo verò sita ejus natura, quave molitione machinatus illum sit Auctor naturae nobis denegatum omninò. Attamèn vix credere ausim, praeclaram illam intelligendi facultatem humanarum omnium cognitionum fontem, in qua posita hominis est excellentia omnis, & dignitas, undè homines longè praestant caeteris animantibus, plerumque, vèl planè inutilem esse, vel aliquando etiam perniciosam. Nàm cum pauci inveniantur, qui in prima studiorum suorum institutione perpenderint, quae sint hujusce facultatis proprietates omnium principes, & quò harum fines usque pertineant, ad veritatem assequendam probè cognoverint, non raró accidit, ut humana mens laxatis

quo-

quodammodo habenis phantasìae; ad ea licentiùs inveſtiganda feratur, quae rationis limites tranſiliunt, altumque temerè veluti ingreſſa, quò eamcumque rapiat tempeſtas vela facere non pertimeſcat; Magna enim vis phantaſiae, niſi magno quoque ſit cum judicio, a quo illa regatur, conjuncta, donum, meâ quidem ſententiâ omnium maximè pernicioſum eſſe cenſeo, quod largiri hominibus aliquando natura ſoleat; Nam hujuſmodi phantasìa ab una quaque re vehementèr affecta, atque permota, illam tantummodò videt, illi blanditur, de illa maximè delectatur, atque illam demùm re talem, qualem ſibi finxerat eſſe exiſtimans, veri plerumque ſimilitudine decepta fallitur. Hoc præſertim medicina noſtra teſtatur, quae, cum ab obſer-

ſervatione illarum rerum, quae Corpori prodeſſe, aut obeſſe poterant primum orta ſit, tunc eam firmiora Artis fundamenta tantummodò jeciſſe novimus, cum ſola obſervatio, & experientia conſulebatur, ac tota ferè in experimentis, atque obſervationibus Medicina erat. Nam tunc nos illa maximè docuit, nihil eſſe ſobrietate praeſtantiùs ad valetudinem tuendam, tunc deſidia Corpus hebetari, firmari labore, & hujuſmodi alia permulta ſtabilivit, quae apud Antiquos hujuſce Artis cultores paſſim leguntur.

Cum verò pro ratione, quam alterum veluti adjumentum Arti prudenter adiunxerant, phantasìa temerè uti caeperunt Medici, & inſana quaedam eorum animos inceſſit opinandi cupiditas, ſtatim ab obſer-

obſervationibus, & experimentis ad inanes meditationes, & conjecturas paulatim deflectentes, in varias abire ſectas, & in contrarias diſtrahi ſententias, cogitare falſa pro veris, incognita pro cognitis habere, iiſque temerè aſſentiri, pro utilibus inutilia invenire, & quod menti intimè penetrare minime datum fuerat, inveſtigare; Quapropter opinionibus, & commentis univerſam fere medicinam refertam, atque implicatam poſteris tradiderunt.

Praetereo tandem hypotheſes Theologicas, ne manum nimis audacem ad meſſem omninò alienam videar hodierno die intuliſſe. At cuinam ſtomachum non moverunt olim tot de dogmatibus fidei, ex. g. de Verbi Nativitate, naſcendique modo conficta humano more

Syſte-

Systemata, quibus nonnulli Theologi spinis volutari gestientes, & in profundum hypotheticarum disputationum demersi, divitiarum altitudinem, ut loquitur Paulus, animo aequare, Dei Filium noscere, ejusque Divinam generationem metiri non solum, verum etiam quasi oculis contueri sibi temerè proposuerunt, cum Ambrosius sapientissimè doceat, non licere hominibus scire Dei Filius quemadmodum natus sit, quamvis nescire non liceat quod sit natus, Authorem generationis agnosci, seriem verò generationis ignorari; Neque enim, inquit, interfuerunt Homines, cum ex Patre Dei Filius nasceretur, quamvis interfuerint, cum Dei Filius diceretur a Patre.

Quod si ab immoderata licentia philosophandi de materia, ejusque

que naturâ intimè cognoſcendâ, tàm abſurda, tamque aliena a veritate ſyſtemata in naturalem philoſophiam derivarunt, non minora profectò, nequè abſurda minus fuerunt illa, quae aliis quoque philoſophiae partibus acceſſere, quas de moribus, vel de Jure Naturae appellare ſolemus. Unde nàm tot adeo implicatae, ac penè inextricabiles quaeſtiones de libertate, de natura boni, & mali, juſti, & injuſti repetendae ſunt, niſi ab audacia, ac temeritate Philoſophorum, non tantùm otio, & literis, verùm etiam facultatibus quoquè mentis humanae abutentium, qui illarum fines proferre voluerunt, ultra quos progredi ab ipſomet Auctore naturae vetitum nobis omnino fuerat.

At ſi Homines elatè minus

de ſe cogitantes, animadverterent, inveſtigationem rerum naturalium perutilem ſanè eſſe ad explendum illud ſciendi deſiderium, quod Natura omnibus indidit ad vitam alendam, ſuſtinendamque; intimam verò illarum cognitionem minimè eſſe neceſſariam ad veram felicitatem ſibi comparandam, ad quam unicè procreatos Homines fuiſſe, inficiari non poſſunt, facile ſibi ſuaderent mentis humanae non eſſe, naturam in profundo demerſam eruere, & in apricum poſſe proferre, quare ea tantùm noſſe contenti, quae ad uſum vitae maximè pertinent, generales quaſdam Naturae leges, & proprietates illas, cùm mentis, tùm corporis, ſolis obſervationibus detegendas exploraſſe, ſatis eſſe exiſtimarent.

Non eſt enim ignoratio Naturae,

rae, quae miferrimos homines facit; mirum propterea videri non debet, fi quantùm naturam nobis plané incognitam, & profundâ tectam caligine, tantùm legem, a qua omnis felicitas noftra pendet, notam omnibus, ac manifeftam Deus ipfe naturae auctor effe ftatuerit. Itaque pauca, eaque fimpliciffima principia, quae nil aliud revera funt, nifi obfervationes illarum rerum, quae in fenfus incidunt, eofque movent, fufficere poffunt, ut difciplinae ferè omnes, fi eas, quae ad Fidem pertinent excipiamus, quafi totidem Geometrarum propofitiones demonftrari facile poffint. Et re quidem vera ipfemet mundi ortus, tantaeque hujus molitionis finis, & inditae hominibus facultates rationis, atque orationis, ex quibus omnibus effecto-

rem, moderatoremque omnium rerum Deum esse evidentissimè demonstratur, nos quotidie docent, ac commonefaciunt, quid tanto Auctori, quid nobis, quid aliis debeamus, nec violari haec officii necessitas ullo modo potest, quin humana societas omnis dissolvatur, & corruat, quam a Deo esse constitutam dubitare nemo potest, cum ipse Hominem ita effinxerit, ita nasci, ita adolescere voluerit, ut existere solus minimè possit, sed alius alii opem ferret, & omnes ita inter se communitate, ac consociatione devincti, sibi mutuò prodessent, atque auxiliarentur, alioquin facilè interirent, neque iis facultatibus, quibus non temerè praeditos illos fuisse novimus, uti possent ad vitam.

Sed, ne rem unam omnium

ma-

maximè frugiferam, ac fructuosam transiliat Oratio, venio tandem ad ea, quae ultimo loco tractanda constitui, dum de ineundâ illa, quae ducit ad veritatem via verba facere initio statueram, non quantum fortasse argumenti necessitas postularet, sed quantum saltem, & virium mearum imbecillitas, & angustiae temporis ad dicendum dati patiuntur; adeo ut iis declinatis, quae ducere nos ad hypotheses frequentius solent, veram, solidamque doctrinam, quantum quidem per humanas vires licet, nobis comparemus.

At quoniam vitare omnino illa, atque effugere nostrum semper non est, ob summam rerum fere omnium ignorationem, in qua mens Hominis plerumque versatur, nosse tamen quibus modis exploranda

Natura ſit, emolumenti plurimùm ad eam, ſin minus intelligendam, ſaltèm tutiùs inveſtigandam, nobis afferre poterit; cujus rei teſtimonia inſtar omnium graviſſima mihi eſſe poterunt duo illa Britanniae, & Galliae lumina Verulamius, & Carteſius, quorum liberum philoſophandi genus, vel interrogandae Naturae artem nos docuit, vel rectam, accuratamque cogitandi rationem nobis demonſtravit.

Duo itaque ſunt praecipua fundamenta, quibus omnis rerum naturalium ſcientia maximè continetur, obſervatio, & experientia, quarum una minimè eſt cum altera confundenda. Nam obſervatio, quae curioſa nimium non ſit, nimiumque ſubtilis iis, ſemper contenta factis, quae ſuis quotidiè oculis obverſantur, tota in benè

per-

perſpiciendis, diſcernendiſque ſingillatim eorundem phaenomenis, quae paſſim nobis offert Natura, cujuſcumque generis illa ſint, tantummodò verſatur. Experientia verò Naturam intimè penetrandi cupida, quidquid ſuo veluti ſinu conditum ſervat, vel invitam cogit patefacere; nova, modò in comparandis inter ſe corporibus, iiſque modò diſſolvendis, modò componendis, ut chemia ſolet, phaenomena, diligenter dein perſcrutanda, ut ita dicam, quaſi creat, ac demum Naturam ipſam in ſuis operibus loquentem attentè audire minimè contenta, non modò eam aſſiduè interrogat, ſed aliquando etiam premit, & urget.

Hoc in rebus naturalibus philoſophandi genus adhibuiſſe veteres illos primae aetatis Philoſophos,

hi-

hisque tantùm innixam fundamentis illorum fuisse philosophiam demonstrari facilè potest.

Et quamvis non desint plurimi, iique gravissimi Auctores, qui affirmare contraria non dubitent, tamen si altiùs repetantur superiorum temporum monumenta, liquidò constabit, non inanibus illam quaestionibus, non commentis, non hypothesibus mente confictis, non opinionibus, sed fidis tantum observationibus summâ cura, diligentiaque institutis contineri. Evolvite, quaeso AA., universam Hyppocratis Medicinam, qua nullum validius argumentum excogitari potest, unde nos de philosophia majorum tutò judicare possimus, tùm quia graviora nulla praeter illius scripta primaevae philosophiae supersunt testimonia, tùm quia illam phisices par-

partem comprehendunt, quae usu, atque utilitate caeteras antecellit; Quare ex hac una, quae fuerit illorum temporum vera philosophandi ratio etiam in reliquis partibus conjectari facile possumus.

Atquè illam sanè totam factis benè firmis, benèque inter se cohaerentibus constare invenietis, adeò ut nullum habeamus systema tot, tantisque observationibus conflatum, quod nostra etiam aetate potiori nobis fundamento, atque usui esse possit ad Medicinam.

Sed quoniam ea est observationum natura, ut eò major semper ex iis exsuscitetur in nobis, atque exacuatur cupiditas, & appetitio quaedam ulterius progrediendi in inquisitione, atque investigatione veri, & quò plura cognoscenda, atque intelligenda supersunt,

eò

eò mirabiliores amores, ut ajebat Plato, excitet sui, ità nostrorum temporum Philosophi ab observationibus ad experimenta paulatim transire caeperunt, ut longinqui temporis usu, & periclitatione ea perciperentur, quibus percipiendis observationes minime sufficere posse videbantur; undè sibi ad novas semper veritates viam, aditumque sibi ad novas observationes munirent, ac patefacerent. Sic lucro intentos mercatores quasi imitati sunt, qui in eum locum advecti, ubi maximo quaestu, compendioque rem suam amplificarunt cupiditas illicò exacuitur, sese iterum Pelago committendi, aliosque portus, aliasque oras pertentandi, undè majorem sibi lucri segetem, ac materiem praebitum iri confidant, quò insatiabilis ille habendi amor, ali-

aliquando, si fieri possit, expleatur.

Hanc unam institerunt viam veteres illi, quos admiramur, ac suspicimus verae sapientiae Proceres, hanc unam philosophandi rationem, tanto cum emolumento nostrarum cognitionum excoluisse legimus. Hac Florentina olim, nunc Parisiensis Scientiarum Academia decus immortale, & famam sibi apud remotissimas quasque gentes compararunt. Hac Boileus, hac Mariottus, aliique plurimi, quos recensere longum esset, sibi primas inter Philosophos aetatis suae clarissimos vindicarunt, donec elapso saeculo, Newtonus omnium celeberrimus accessit, totius nè dicam Britanniae, sed Europae fere universae decus, atquè ornamentum, qui fugatis iis, quae supererant ignorantiae tenebris, ac penitùs

tùs diſſipatis, Geometriam phyſicae diſciplinae, non minus aptè, quam utilitèr copulandi, atque adnectendi artem primus invènit; & quod aliis antea proſpexiſſe tantum contigerat, ſolus tandèm ipſe perfecit; Nam experientiam calculo ſapienter conjungens, ſcientiam ex his unam, omnium pulcherrimam, planè novam, profundam, ac numeris omnibus abſolutam compoſuit, ac concinnavit.

Quae cùm ita ſint, quid ſtatis Adoleſcentes (ad vos enim, quorum cauſa caepta eſt, mea jam convertetur oratio) quid ſtatis inquam, Adoleſcentes, cur oblatam vobis hodie a regali munificentia PETRI LEOPOLDI PRINCIPIS, tanti boni conſequendi occaſionem effugere ſinitis, atque evolare? Cur non aliis omnibus curis,

&

& cogitationibus ex animo abjectis, atque abdicatis, in observationes, & facta assiduè congerenda, eaque in naturalem, ac simplicem, quantum quidem licet, ordinem digerenda, ac disponenda, in varia, ac multiplicia experimenta diligenter tentanda toto pectore incumbitis? Nonne ab una tantum benè, accuratèque instituta de luce, cùm reflexa, tùm refracta experientia, Optices, & Catoptrices disciplinas ortas? Nonnè ab altera de pressione liquidorum, equilibritatis illorum leges erutas? Nonnè demùm ab illa de corporum deorsum cadentium acceleratione, illorum quoque per plana inclinata fluentium leges pariter patefactas fuisse compertum est? Eja agite juvenes optimi, hanc certam, tutamque viam vos etiam insistite, illam incer-

certam, lubricam, ancipitem, quae ducit ad hypotheſes deſerite, ac fugite. Nolite per Deum Immortalem, ingenio nimium confidere, nequè ſtatim, ac veri ſpecies aliqua animo objecta eſt, eò ſtatim intendite, neque veſtris cogitationibus Naturae opera accomodate, ſed Naturae potiùs operibus veſtras aptate cogitationes; Ita vos Praeceptorum deſiderio, Patriae expectationi, PETRI LEOPOLDI PRINCIPIS omnium noſtrûm Amantiſſimi Munificentiae planè ſatisfacturos confido.



Dum libellus hic cudebatur, obſervatio, quae mihi exciderat, in mentem venit; vina ſcilicet diù ſervari ſolita, maximam partem corrupta in doliis hoc Anno fuiſſe reperta. Nonne, & id infeſtae rubiginis naturae, & aeris vitio, de quo ſupra loquti ſumus, fortaſſe tribuendum?